



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Otivism.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

eos, qui rationis capaces sunt tantum, ligans solum in foro conscientia; & ad agendum in contentioso foro inefficax. Alia civilis tantum dicitur, non obligans in foro conscientia, nisi secundum q. quis a superiori cogitur, secundum Inno. in c. quia plerique. de immun. ecclesi. Tertia dicitur naturalis & civilis simul, ut cum quis civiliter, & cum solemnitate se obligat ad aliquod quod naturalis aequitas suadet: ut soluere agrum, que in veritate tenetur soluere: & hæc in utroque foro obligat. De his instit. de oblig. per tot. iustitia enim ad hoc etiam cogit.

3 In obligatione generali, non veniunt ea, quæ quis specialiter non obligasset, ut si Titius obligavit omnia bona, non intendebat obligare pannos, lectum, & alia, sine quibus vivere non poterat, secundum Bart. in l. 1. C. quæ res pig. obl. poss. Contra enim equitatem esse videtur.

4 OBLIGATIO, cui oppositus est terminus ad sollicitandum implementum obligationis, adveniente termino non dissolvitur, quia iam contractus est factus: ut si contractis sponsalibus, promissi ducere sponsam infra mensem, elapso mense non dissolvitur hic contractus. Si vero terminus positus sit ad finiendum, vel limitandum contractum, adveniente termino solvitur obligatio illius, per quem non stetit quin impletetur contractus initium, ut si promissi tibi tali die facere venditionem de domo, & per te sterit elapso illo die, non amplius teneor, secundum Pa. & Gof. in c. sicut ex literis. de spons.

5 Si dies appositus sit obligationi, & actor, & reus sunt eiusdem fori, tenetur reus sine interpellatione offerre, & ire ad domum actoris, secundum Pan. in c. licet hely. de simo. quia dies interpellat pro homine. cap. potuit. de loca. quod si non sunt eiusdem fori, sufficit quod reus dicat in domo sua, paratus sum soluere, si sit qui recipiat: iuxta not. in l. item illa. ff. de constit. pec. & quod ibi not. Bart. pro limitatione d. c. potuit. intellige tamen,

nisi aliter sit in pacto specialiter. Si autem dies non est appositus, requiritur monitio. in l. si ex legati causa. ff. de verb. obl. supra, Mora. §. 1.

6 QUANDO turpitudine est ex parte recipientis obligationem, obligatio non tenet, secundum Pa. in c. de bitores. de iur. iu. ex quo patet, quod obligatio de soluendis usuris non stringit, nisi interveniat iuramentum, secundum Pa. in d. c. debito res. quia iuramentum sit Deo, qui non turpiter accipit: nec qui sic iuravit, peccavit. Simplex autem promissio nulla fuit, propter turpitudinem hominis recipientis. Vide Th. secunda secunda. quæ. 88. ar. 3. ad 3. Is pro quo quis negotia utiliter gerit, eidem obligatur. ar. in l. cum pecuniam. ff. de negot. gest. & Pan. c. 2. de preca.

OBSTINATIO.

Obstinatio importat inhærentiam pertinaciter alicui peccato, ut cum quis intendit pertinaciter perseverare in peccato, sicut quando non vult remittere iniuriam, vel vult tenere concubinam, vel ita habituatus est in peccato, quod est factum sibi quasi naturale, & quasi nunquam inest ei aliquis motus ad bonum, & ad resurgendum a peccato, & tales parum distant a statu damnatorum: quamvis possint converteri, secundum Caiet. ibi, in summa. Vide Th. q. 24. a. 11.

OTIVM.

Otium secundum Gre. est quod caret intentione pie utilitatis, aut iustæ necessitatis, & propter hoc non omne verbum, vel factum iocosum otiosum est, nec consequenter peccatum: imò in talibus contingit esse virtutem, que eutropelia dicitur. Et quamvis verbum otiosum sit communiter veniale: tamen potest esse mortale, si dicatur in contempum Dei, vel proximi, vel propter aliquem finem, qui sit peccatum mortale, ut ad incitandum aliquem ad luxuriam, & huiusmodi.

ODIVM.

ODIVM secundum Tho. secunda secunda. q. 34. a. 5. & 6. non est vitium capitale, sed formaliter oritur ex invidia: dispositivè autem ex ira. Si

G sic